

THE APIAS
SYPHILIDIS

8

ANNO 1771. AUT POSTERIORES,
AUT DENUO RESUSCITATAS.

PRAESIDE

JOH. JACOBO SPIELMANN

MED. DR. PATH. ET PRAX. CLINIC.

PROF. PUBL. ORD.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI

OFFERT

D. XX. DEC. M D C C LXXXVIII.

JOH. FRIED. KOBELT

ARGENTORATENSIS

A U T O R.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI
LITTERIS P. J. DANNBACHIL.

THEATRUM
SUEVICUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD
AT THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD
AT THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD
AT THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

AT THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

AT THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

IN THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

AT THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF OXFORD

ILLUSTRIBUS
LIBERALITATIS
SCHENKBECHERIANAE
ATQUE
OTTONIANAE
DOMINORUM
DISPENSATORUM
COLLEGIIS
VIRIS
NOBILISSIMIS
AMPLISSLIMIS PRUDENTISSLIMIS
CONSULTISSLIMIS EXPERIENTISSLIMO
EXCELLENTISSLIMIS
DE RE PUBLICA ET LITTERARIA
SUMME MERITIS
FAUTORIBUS AC PATRONIS SUIS
PIE COLENDIS
HANC DISSERTATIONEM
UT GRATISSLIMAM
COLLATI BENEFICIIS PUBLICIS PROFITERETUR
MEMORIAM
SACRAM ESSE VOLUIT
A U C T O R.

ILLUSTRATISS
LIBERALITATIS
SCHENKBRGHEINVNT
AUSTRIA
OTTONIVN
DOMINORVM
HISTORIATORVM
COPLEGIT
AERIS
PRAECLARITATIS
VIRIBVS
CONVENTUS
PROFESSIONIS
DE RE PRACTICO ET HISTORICO
DAMNE MVRGIS
PATRONVS SUE
TIC CORDVM
HINC DISSEMINAVIM
ET CULTIVAVIM
COLLEGIT HISTORICO-THYMIA
INNOMINATA
SACRUM HABE ACCVLCT
AUCTOR



INTROITUS.

Qui vastationes, quibus venerea labes a
prima sua origine in genus humanum
saeviit, cum noxis quas hodie infert, com-
parat, magnum sane discriminem interce-
dere deprehendet. Pessima nimirum ista
symptomata, quae miseros lue contamina-
tos tam cito mutilabant, nunc perraro
inter nos observamus; non amplius tanta
velocitate malum ulterius serpit, quoniam
aegri plerique non ut olim ex falsa ista
pudicitia malum suum silent, nec illos,

A

fato suo, religiose immisericordes, committimus, quod proh dolor! nimis frequenter olim accidit; nec tandem in medendo lui venereae adeo rudes mansimus, ac quondam fuere medici. Noli tamen ideo putare, nos hodie ab insidiis hujus morbi multo minus infestari: Prothei formam nunc induit, atque insidiosa, mitis, humanae devastat stirpem, alias jam multo infirmiorem et laxiorem, adeo ut quidam simulatam hanc mitiorem Syphilidis indolem, a debiliori isto hominum habitu derivarent; cui opinioni eisdem non omnem plane verosimilitudinem denego; tandem repertam meliorem, tamen in medendo methodum maximam hic contulisse symbolam, utique persuasum habeo.

Diversissimo autem modo, ab omni tempore, medici hanc hydram debellare nisi sunt, indeque quidam in pessimos deducti fuere errores, quoniam perversis suis opinionibus circa naturam atque effe-

ctum virus venerei, aequi inconcinnas atque deleterias medendi methodos superstruxere: alii contra magis de refrenando impetu mali solliciti, multa tentavere, quae quum subinde morbum sustulerint, vel saltem modo mitigaverint, mox tanquam totidem Specifica, fallere nescia, maximo encomio divulgata fuere; donec tandem verum istud luis venereae antidotum innotescere cooperit, ad quod dein omnis fere medicorum ordo, tanquam ad sacram anchoram confugit.


Varias has syphilidis therapias jam Cel. ASTRUC^(a) ad sua usque tempora studiose collectas nobis tradidit: quem dein secutus est Experient. olim apud nos BOEHM^(b), qui recentiora, a quibus haec materies

(a) JO. ASTRUC *de morbis venereis* L. VI. Paris 1738. 1740. 1760. T. II. 4. quem Angli traduxere. Lond. 1755. Vol. II. 8. et in compendium reduxere per SAM. CHAPMANN *Treatise on the venereal disease*. Lond. 1755. 12. T. II. quem et Germani adscivere utendo compendio ASTRUCCI opera JO. GOTTL. HEISE aequi ac Galli, opera Cel. LOUIS in 12. Vol. IV.

incrementum cepit, in specimine suo academico, addidit.

Quoniam autem haec sparta ab aucto-
ribus hodie uberiime colitur, atque qui,
vis fere aliam methodum vel aliud re-
medium commendat, quae ab antiquiori-
bus partim mutuata ac recocta, vel parum
immutata, vel tandem plane nova sunt,
quaeque maximam partem medico hodie
scitu summe necessaria duco; quum tamen
horum scriptorum caterva tam numerosa sit,
ut eorum acquisitio una parte nimis sum-
ptuosa esset; alia vero parte, lectio nimiam
temporis jacturam pareret; ideo haec toti-
dem argumenta calamum exercendi esse
duxii, atque omnes et singulas has diver-
sas recentiores syphilidis therapias in com-
pendio collectas offerendi, cui operi me
nunc accingam, idque pro virium facultate
expediam.

(b) BOEHM variae syphilidis therapiae,



§. 1.

PLANTIS omnibus, leni quodam modo vitia humorum nostrorum corrigentibus, corruptosque excretione quadam praecipue diaphoresi corpori subducentibus, eandem inesse specificam vim contra venereum luem ejusque pertinacissima symptoma ac mercurio, persuasum sibi habet Cel. MITTIE⁽¹⁾ et prae aliis diaphoreticis, *Agrimoniām*, *bardanām*, *bistortām*, *bursam pastoris*, *camomillām*, *corallinām*, *centaureūm*, *carduum benedictūm*, *cichorium*, *doronicūm*, *gentianām*, *hepaticām*, *imperatiām*, *linariām*, *majoranām*, *marrubium*, *millefolium*, *pimpinellām*, *scabiosām*, *tormentillām* etc. in debellanda lue ipsi satisfecisse contendit.

(1) *Observations sommaires sur tous les traitemens de la maladie vénérienne, particulièrement avec les végétaux*, par J. ST. MITTIE. Paris 1779.

Gratiolum officinale L. drasticam valde plantam a medicis Viennae frequentissime in hoc morbo in usum trahi, lego in Cel. RICHTERI Bibliotheca Chirurgica (2).

Pulverem radicis *Gei rivalis* L. americae incolae ulceribus venereis consolidandis inspergunt, nec non pulverem corticis interioris *Ceanothi americani* L. eodem modo, eundemque in scopum adhibent (3). *Lobelia Syphilitica* L. KALMIO et BERTRAM jam olim laudata (4) quamvis famae suae multum perdiderit, tamen adhuc hinc inde ab Americae incolis recepta est, qui eam in lue rebelli praecipue cum *Ranunculi abortivi* L. parva quantitate adhibent (5): et soli forsitan incuriae in eligenda planta, adversi isti eventus, quibus persaepe medicorum spem fefellit, annumerandi sunt; duae enim *Lobeliae* species, sibi ceterum satis similes occurunt, una *longiflora*, altera *syphilitica*, quarum prior multo majori dignoscitur acrimoniam a posteriori (6).

(2) RICHTER Bibliotheca Chirurg. T. IV. p. 386. et KOSTRZEWSKI diss. de *Gratiola*. 1775.

(3) *Practical Observations on the more obstinate and inveterate venereal complaints*, by J. SCHWEDIAUR. London. pr. for JOHNSON. 1784. 8vo. 233. pag. — Hujus libri versionem Gallicam dedit Dct. GIBELIN. Paris. 1785. epitomen germanice dedit Cel. RICHTER in Bibl. Chir. Tom. V.

(4) vid. BOEHM. I. c. §. XIV. p. 31.

(5) SCHWEDIAUR. I. c.

(6) ibid.

Astragali exscapi L. radicem, cuius ope mulieres in Hungariae confinibus venereum morbum profligare solent, nuperime tentavit Cel. QUARIN⁽⁷⁾ in nosocomio Generali Vindobonensi, atque quatuor lue infectos sanasse narrat. Quum tamen nulla ipsi innotuerit medicamenti dosis, ideo radicis unciam dimidiam in aquae fontanae uncisi quindecim ad reman. librae unius coxit, tepide mane et vesperi assumenda. Hujus radicis efficaciam quoque testantur plures observationes a Cel. GIRTANNER⁽⁸⁾ descriptae, quaeque omnem sane fidem merentur: Ipsius plantae iconem idem dedit in tractato suo modo citato.

Pruni padi L. corticem in balneo et decocto laudat LUNDEMARK.⁽⁹⁾

Tithymali praeparatis specificam quandam messem contra luem venereum experimentis comprobant LA TOURETTE ET GILBERT.⁽¹⁰⁾

(7) J. QUARIN. Animadversiones practicae in diversos morbos chronicos. Viennae. 1786.

(8) CHRISTOPH. GIRTANNER. Abhandl. über die venerisch. Krankh. 1788. 459. p. hujus libri recensio exflat in Goettingische Anzeigen 1788. 159. Stük.

(9) in Veckoskrift foer Loekare och Naturforskare. Tom. VII. vid. Goetting. Anz. 1788. 15 Stük.

(10) Demonstrations des éléments de Botanique, par M. LA TOURETTE. Lyon 1787. 8vo. Vol. III.

Saponariam officinalem L. Parisiis sub forma decocti, atque extracti in hoc morbo exhiberi lego in Journ. Gén. de France. ⁽¹¹⁾ Syrupus quoque exinde paratur, cui Liquor. anodyn. nitros. Pharm. Würtemb. miscent; addunt quoque Aq. Flor. Sambuc. libras duas in qua sacchar. unciae duas solutae fuere. Ea quantitas tempore 24 horarum assumitur, singulaque hebdomade pilularum BELLOSTII ope alvus dicitur.

Solanum dulcamaram L. in decocto hodie iterum extollunt SCHWEDIAUR, ⁽¹²⁾ GIRTANNER ⁽¹³⁾ atque MITTIE. ⁽¹⁴⁾

Laureolae sive *Daphnidis Mezerei L.* radicem laudant SCHWEDIAUR ⁽¹⁵⁾, GIRTANNER ⁽¹⁶⁾, RUSSELL ⁽¹⁷⁾, HOME ⁽¹⁸⁾, et praincipue CULLEN ⁽¹⁹⁾ qui ope hujus decocti ulcera venerea sanasse affirmat, quibus tollendis mercurius impar fuerit. Formam hujus remedii, cuivis stomacho ac dia-

(11) *Journal général de France.* 1778. Nro. 49.

(12) I. c.

(13) I. c.

(14) I. c.

(15) I. c.

(16) I. c.

(17) *Medical observations and Inquiries.* Vol. III. p. 189.

(18) *Clinical Experiments and Histories.* p. 467.

(19) *First Lines of the practice of Physic.* Vol. IV. p. 408.

thesi accommodatam, quaeque susceptis experimentis maxime sese probavit, nobis tradidit. CEL.
MURRAY⁽²⁰⁾ sequenti modo: Rec. Cort. Rad. Laureol. rec. unciam unam, coq. cum. Aq. font. libris duab. et dimidia ad. reman. librar. duar. sub. fin. coct. add. Rad. Glycyrrh. unciam unam, d. s. quater de die libra dimidia sumatur.

Multo autem antefert *Daphnidem Lagetto* L. huic praecedenti GIRTANNER, quae datur ad drachmas duas cum decocti Salsaparill. libris duab.

Nucum Juglandium putamina in decocto, prae-
cipuis ex vegetabilium ordine petitis remediis anti-
venereis annumerat GIRTANNER⁽²¹⁾.

Decoctum *Ledi palustris* L. ad balnea atque fomenta adhibitum, efficassimum esse remedium contra ulcera, scabiem ac impetiginem venereum lego, in *Gazette Salut.* 1788. N. 46.

Clematis recta L. ab ILL. STOERK⁽²²⁾ in rebellibus luis symptomatis celebratur. Non minus *Anemone pratensis* L. et *Aconitum Napellus* L. tanquam luis remedia ab illo censemur⁽²³⁾.

(20) Apparatus medicamentorum, Auctore ANDR. MURRAY. Vol. IV. p. 632.

(21) I. c.

(22) ANT. STOERK. libell. de Flammula Jovis, Vienn. 1769. 8.

(23) id. de usu pulsatillae nigrantis. Vienn. 1771.

Echitis Syphiliticae L. folia ab incolis Surinamensibus contra luem recipiuntur: et

Epidendrii Claviculati L. ope, mancipia Indiae Septentrionalis a lue venerea liberantur, teste GIR. TANNER.

§. 2.

Ast magnam abhinc aliquot annis praecipue famam acquisivit *Opium*, primum in quibusdam Americae ac Indiae Orientalis regionibus ad debellandam Syphilin. Plurimas enim observationes ejus ope instituerunt in lue venerea infectis Cel. MICHAELIS (⁽²⁴⁾) atque NOODT, quae efficaciam ejus in hocce morbo satis superque probant: Si quidem omnis generis symptomata luem concomitantia, bubones, cancri genitalium ac faucium, scabies, condylomata, dolores ossium, ulcera partium mollium ac solidarum, ejus ope sanata fuerunt. Dein pericula quoque fecit cum opio Cel. SIBBERN, quae actis regiis Hafniensis inservit Cel. TODE (⁽²⁵⁾), qui in eodem Sophronisterio constitutus medicus plurimis interfuit tentaminibus quae in universum aequre bene cesserunt. Attamen plurimum adhuc famae addiderunt opio celeber-

(24) *Medical communications Vol. 1. p. 307. on the efficacy of opium, in the cure of the venereal disease. By Fred. MICHAELIS. M. D. Physician to the Hessian troops. Communicated by Dotr. SIMMONS Read. Dec. 30. 1783.*

(25) *Acta regiae societatis medicae Hafniensis. Tom. I. 1783.*

rimi Angliae ac Americae medici et chirurgi,
GRANT⁽²⁶⁾, WEBSTER, SAUNDERS, SCHOEPEL,
WHITE, CULLEN, STINDS, SKEETE, ROBERTSON,
ex quorum observationibus satis copiosis, memo-
ratu modo digniores, quae pro antisyphilitica vir-
tute hujus remedii militant, in unum collegit Cel.
a THUESSINK⁽²⁷⁾ in specimine suo academico,
cui etiam quaedam experimenta, duce Cel. CUL-
LEN ab illo instituta inseruit.

§. 3.

Quo vero efficaciam suam in hoc morbo exse-
rat *opium*, larga dosi propinandum esse, omnes
qui eo usi sunt auctores asserunt, adeo ut tan-
dem ad scrupulos duos et ultra ea ascendat⁽²⁸⁾,
citram sanitatis detrimentum, quo minus spem no-
stram frustretur: Facillime enim corpus ei assues-
cere, ab eoque iterum desuefieri; et plerumque in-
tra octiduum jam luculentissime effectus suos

(26) *Observations on the use of opium in removing symptoms of morbid irritability*, by A. GRANT, senior Surgeon of his Majestys militari hospitals during the late war in America. London 1785. *uti et Medical Journal of Dr. FOART SIMMONS*. part. 5.

(27) EVERARDI. JOANN. THOMASS. a THUESSINK. diss. de opii usu in Syphilide probato. Lugd. Batav. 1785. 8vo. 72. pag.

(28) Memorabilem talem casum refert. Cel. TODE. I. c. ubi aeger a 1 Maij. ad 16 Julii 1140. gr. assumpt. RICHTER. Bibl. Chir. T. VI. p. 736. Evidem ipse jam 6 dierum spatio sex scrupulos exhibitos vidi in testiculo vener. ac gonorrhoea maligna, faustissimo eventu.

edere: rarissime tantam inducere somnolentiam, ut aegroti suis operibus fungi nequeant. Nullo quoque modo sanitati noxiā esse hanc methodum, plerique bene observarunt; licet enim facies quorundam inde pallidior, habitusque laxior evadere videatur, pristinum tamen colorem ac firmitatem aegros quam citissime recuperare, nullique fere strictiori diaetae submissos, inopinato sanescere.

Mirus tamen et memoratu sane dignus est opii in pulsū effectus, qui in aliis et intentior, in aliis et plerumque quidem, tardior plenus ac mollis ab auctoribus tactus est (²⁹), et Cel. GRANT opii dosin eo usque auxit, donec omnis pulsus celeritas ac debilitas sublata fuerit (³⁰). Fere omnibus quoque favere secretiōnibus ac excretionibus, p̄aeprimis vero cutaneae ajunt: in plurimis, quod mireris, alvum ter quaterve de die laxare, imo subinde fortioris evacuantis vicibus fungi: rarissime tamen ejus obstipationem inducere. Ptyalismum subinde ciere, vidit Cel. WEBSTER (³¹) in aegra quae lue confirmata laborabat, aliisque remediis incassum usauit, cui dein largis dosibus opium propinabatur, quod salvationem produxit, morbumque plenarie sanavit.

(29) TUSSINK. I. c. p. 65. TODE. I. c. GRANT. I. c. MICHAELIS. I. c.

(30) THUESSINK I. c.

(31) Sjot. der prakt. Arzneyk. Altenb. 1786. Vol. I. p. 535.

Saepissime etiam adeo in urinae vias agit, ut secundum observationes omni cum cura institutas, repetitisque vicibus iteratas, quantitas lotii, intra nychthemerum excreti, illam humorum intra hoc temporis spatium assumptorum, quarta quandoque et tertia excesserit parte, qui mirus sane et hucusque forsan incognitus opii effectus, ad curatiorem ejus indagationem medentes devehere potest.

Tantdem ex omnibus istis objectionibus, quae contra opii usum jam factae sunt⁽³²⁾, unam modo hic tangam quae omnium gravissima mihi videtur, quod nempe *sopiat modo hostem, ocius ci-tius adactiori impetu irruentem*⁽³³⁾. Haec fortioribus ac valentioribus refutari argumentis nequit, nisi testimonio Cel. MICHAELIS⁽³⁴⁾, qui priores suos aegros sedulo observari curavit, et cui nullus, post tres jam elapsos annos, morbi redditus hucusque innotuit.

§. 4.

Nullus idcirco contendam, ut aliud praestans remedium, veluti mercurius, quo hucdum

(32) Ibid. p. 68.

(33) Hanc sententiam cum pluribus aliis quoque fert. Cel. WAD-STROEM suecus in *Lockarm och Naturforskare, i. e. Recueil en faveur des amateurs des sciences naturelles*. Vol. VIII. Stockholm. 1787.

(34) THUSSINK p. 70, atque RICHTER Biblioth. Chir. T. VI. p. 738.

contra pertinacissimam luem veneream optimo eventu usi sunt medici, et cuius specifica in hoc morbo agendi vis satis superque nota est, ab opio penitus propellatur (35): obvenire tamen casus luis rebellis, quibus debellandis mercurius saepius non sufficit, quos vero opium aliudve remedium tollit, neminem negaturum fore puto. Est tandem quoque ubi mercurius plane non in syphilide adhiberi potest, quum nempe huic scorbutus junctus sit; pessimos tum ejus usus haberet effectus pedissequos, cruentam scilicet salivationem, imo et ipsam mortem. Quo in casu eo magis convenit opium, quum in Americano nosocomio Haslariensi nuper utilissimum etiam contra scorbutum hoc deprehensum remedium sit (36).

Quae hucusque de opii virtute antisyphilitica dixi, praecipue de interno ejus usu valeant. Ast non minus efficax, externus ejus usus in sanandis symptomatibus venereis topicis deprehensus est: optimo enim cum successu adhibetur ad injectiones in urethram, in gonorrhœa maligna, ad lotiones in canceris venereis exteriora corporis devastantibus, ad gargarismata contra pessimi moris ulceræ, interiora oris depascentia, tandem ad fo-

(35) Quamvis Cel. SCHOEFFE, candide affirmet, se ab eo inde tempore quo opium adhibuerit, ne granulum quidem mercurii in morbis venereis amplius propinasse. V. THUESSINK. I. c. p. 67.

(36) ibid. I. c.

menta, mitigandis doloribus cruciantibus, quae
tophos atque exostoses concomitantur, aptissi-
ma (37).

§. 5.

Multum quoque celebrari decoctum quoddam,
Lusitanicum dictum, quod in Lusitania ac Brasilia
omni cum successu adhibetur, refert SCHWE-
DIAUR (38); compositionem ejus sequenti modo tra-
dens „Rec. Rad. Sarsparill. Santal. alb. et rubr.
ana. uncias tres. Liquirit. Mezerei, ana. unc. sem.
Lign. Rhod. Guajac. Sassafr. ana. unc. unam. An-
timon. crud. unc. quinque. m. inf. cum. aq. bull.
libr. decem relinque hanc infus. per 24 hor. coq.
tunc ad reman. librar. quinque, col. et exprim.

Simile quoque decoctum jam abhinc octo annis
laudatum sub nomine *Ptisanne Caraïbe* (39), cuius au-
tor Dn. NEGRE DE MONDRAGON illud egregie pro-
fuisse asserit.

An vero his decoctis vera lues unquam ra-
dicitus curata fuit? An non potius mercurius, for-

(37) SCHWEDIAUR l. c. p. 60. et J. HUNTER *traité des maladies vénériennes, trad. de l'anglois par AUDIBERTI I. Vol. 8vo. Paris 1787.* et WEBSTER *Syst. d. Pract. Arzn. Kunde. Altenbourg. 1786.* Vol. I. pag. 535. et THUESSINK l. c.

(38) l. c. p. 311.

(39) *Effets de la ptisane caraïbe proposée pour la guérison des maladies vénériennes.* à Paris 1779.

sunt ante jam exhibitus, potissimum contribuit?
ut reyera soli ptisanae non omnis curatio debeatur?

§. 6.

Variae porro circa naturam ac effectum venerei
virus in corpore humano opiniones ac theoriae,
totidem diversis iterum huic morbo medendi ra-
tionibus ansam praebuere. Sic Cel. PEYRILHE⁽⁴⁰⁾
in inspissatis humoribus lymphaticis deleterias ejus
consistere vires contendens, ideo omnia ea, quae
lympham spissam solvere, et infarcta reserare va-
lent, totidem esse luis venereae antidota, credit.
Mercurium ipsum nonnisi resolvendo tollere ma-
lum, minime tanquam specificum putat, et hac
opinione nisus, novum, in syphilide hactenus
non usitatum remedium, similiter solvens, vendi-
tat, quo abhinc aliquot jam annis prospero suc-
cessu usus sit: *Alkali volatile puta.*

Varia luis v. symptomata, gonorrhoeas, leu-
corrhoeas, cancros ac bubones venereo, impeti-
gines ac exostoses ejus ope se tulisse, gravidis, quibus
mercurius nonnisi aegre exhibetur, octavo nonove
subinde graviditatis mense, remedium hoc exop-
tatissimo

(40) *Remède nouveau contre les maladies vénér. tiré du règne
animal: ou essay sur la vertu antivénérinaire des Alkalies vo-
latiles, par M. PEYRILHE du collège de Chir. de Paris etc.*
*Paris 1774. 8. 225, pag. Hujus libri Germ. vers. edita ex-
stat. Lipsiae 1787.*

tatissimo propinasse eventu ait, ea quidem cum differentia, quod laxantia aliis ceterum conducentia, in his omiserit.

Si quoque scrophulosum vitium venereae Lui junctum foret, tunc omnem hoc remedium paginam absolvere asseverat: attamen inflammationem, symptomata venerea plerumque concomitantem, tolli jubet, priusquam *Alkali volatile* propinetur.

Ipsa vero ratio, qua auctor remedium suum praescribit sequens est: „Rec. Herb. meliss. unc. quatuor, follicul. Senn. unc. sem. infund. in. aq. comm. libr. una, stent. vas. claus. in loc. calid. per h. 1. Col. adde. sacchar. albiss. unc. quatuor et sal. Volat. CC. drachm. unam ad drachm. unam cum dimid. S. sumat aeger mane et vesperi unc. tres ad quatuor. Huic superbibat pro potu ordinario, infusum theiforme Herb. Meliss. quo per omne reliquum curae stadium uti debet.

Hanc curandi methodum subiens aeger, ad eam aequa ac ad sic dictam curam per salivationem praeparari debet, balneis, laxantibus, etc.

Dosin quoque Salis CC. pro variis rerum circumstantiis augendam sive minuendam esse, sponte sua patet. Auctor plerumque octodecim gr. una exhibet; subjectis vero phlegmaticis ac minus

B

irritabilibus viginti ad triginta usque grana dare licebit.

Postquam aeger per octiduum hoc remedio usus fuerit, subsequenti octiduo illud omittat, multumque interim infusi istius melissae bibat; versus finem autem hujus intercalaris temporis, alvus leniter ducenda est; sic et secunda et tertia vice versandum, quae plerumque omne curae stadium absolvunt; viginti enim dierum spatio vulgo effectus ejus apparent.

Simul ac vero quaedam assumta est remedii dosis, sensus grati caloris, uti fert auctor, percipitur, qui sensim per totum reliquum corpus sese diffundit, lenique foetente ac viscido sudore solvit. Subinde tamen fortior inde sequitur sudor, qui potius nocens quam conducens, minus sustentari, minime promoveri debet. Ceterum semper pulsum attollit et frequenter alvum solvit. Si forte remedium hoc iusta quidem dosi exhibitum, attamen nimis validos in aegrum ederet effectus, acida tunc opponenda esse, facile elucescit.

§. 7.

Non aequa favens huic remedio judicium fert
ILL. DE HORNE⁽⁴¹⁾, qui modo tanquam bonum reme-

⁽⁴¹⁾ Exposition raisonnée des différentes méthodes d'admittre le mercure dans les maladies vénér. précédée de

dium præparatorium ad curam mercurialem illud considerat quoniam motum aliquem intestinum ciet; ast aestumat, illud licet subinde levia luis V. symptomata tollat, in vehementiori malo tamen spem fallere.

§. 8.

Ab illo eodemque *Alkali volatili*, virtutes anti-venereas petendas esse, quae *lacertarum* quandam speciem, incolis pagi Americae, sub Hispanorum ditione adeo commendarunt, equidem non dubito. Simplicissimo modo miseri isti, endemiam, apud eos luem V. horum animalculorum ope, optime profligant. Abscissa nempe cauda pedibusque, rejectis intestinis ac detractis integumentis, tremulam ac calidam adhuc carnem absque ulla nausea masticant ac deglutiunt, idque quotidie mane et vesperi repetunt, donec nullum amplius morbi vestigium supersit; quidam eorum unam sufficere asserunt, alii contra numerum ad tres de die augent, nullam prorsus strictiorem diactam observantes.

Primam hujus remediī notionem ad nostras transtulit regiones Cel. FLORES (42). Plura dein

L'examen des préservatifs, par M. DE HORNE Paris 1775. 8.
375. p.

(42) *Del meraviglioso specifico delle Lucertole, o Romarri, per la radical cura del cancro, della Lebbra e della lue venerea;*

experimenta in variis Europae regionibus instituta, quae efficaciam ejus extra omne dubium ponunt, in unum collegit Cel. ROEMER (43) in tractatu hocco anno edito. Aliam hic rationem, minus nauseosam, qua apud nos egregie adhiberi potest, indicat: in minora scilicet frusta conscindi debent lacertae, seduloque mundari, crustulo dein obtegi, ut bolus inde factus, absque omni aversatione deglutiri possit: Plures quoque pro dosi sumendae sunt lacertae, quoniam apud nos multo minores exstant. Ea cura porro nonnisi aestate institui debet, quoniam animalcula haec, hieme aegrius vel plane non capi possunt, vel captae quidem, eandem tamen non exsererent efficaciam quam quae tempore caloris aestivi adhibentur.

§. 9.

Enarratis huc usque quae ex regno vegetabili ac animali nostris temporibus depromuntur contra Syphilin remedii, quaeque mihi saltem innotuerunt, ea quae minerale nobis offert, nunc pandam.

Hydrargyrum itaque, adhucdum pro vero Luis V. antidoto habitum, hodie non solum tam

del Sig. Dottor GIUSEPPE FLORES, Torino 1784. Hujus libri vers. Gall. dedit, Fr. GRASSET, Lausanne 1784.

(43) Ueber den Nutzen und Gebrauch der Eidechsen in Krebs-schäden, der Lustseuche und verschiedenen Hautkrankheiten: gesammlet und herausgegeben von J. J. ROEMER M. D. Leipzig, 1788.

vario modo praeparatur, tam variis substantiis jun-
gitur, in quibus partim divisum, partim solutum
haeret; et tandem fere omnibus hodie cognitis
menstruis acidis, tam vegetabilibus, quam mine-
ralibus, nuptum prostat, cum quibus totidem
salia media constituit⁽⁴⁴⁾; sed et tam diverso modo
a medentibus aegrorum corpori ingeritur, ut sin-
gula harum methodorum, nunc usitatarum, pe-
culiari egeat indagatione, quam brevi subjungere
liceat.

§. 10.

Mercurium vivum cum *axungia*, sive *substancia*
quadam *butyracea* probe contritum, ut secundum Dr.
SAUNDERS et GIRTANNER opinionem magna ejus
pars calcinetur, (quam solam efficacem reputant)
extinctum vocant: hunc cuti inficari, et sic per
ejus poros corpus intrare, quod a lue venerea
liberare student medici, nulli non constat; si qui-
dem quotidie a cauta hujus methodi administra-
tione prosperos observemus effectus: quum tamen
ista multo respectu manca sit, ideo plurimi contra
illam surrexere hostes, multumque de fama sua
amisit. Licet enim hydrargyrum in minimos glo-
bulos cum *axungia* sit divisum, attamen corpori

(44) Syllogen omnium praeparationum ac compositionum mercu-
rii secundum tabulam attractionum electivarum Cel. BERG-
MANN instructam, reperies in SCHWEDIAUR I.C. p. 229.

ingestum, perfacile in majores iterum globos coire, atque saepius in ossium cava se conjicere asserit Cel. GARDANE⁽⁴⁵⁾; si porro mercurius non sit purissimus, sed plumbo mangonisatus, tremores artuum inde nasci, qui rarissime a sale quodam mercuriali oriuntur. Nec inunctiones ipsas esse laudandas: dum nimirum virus venereum critica quadam evacuatione e corpore eliminare studeamus quod transpiratione optime fiat, viam hanc regiam obstrui axungia, vulgo rancida (ni semper ex tempore paretur) quod exanthema istis in partibus plerumque ortum testetur, quem tamen effectum et terebinthina unguento saepius addita, in epidermide molliori producere solet: nec in corporibus vel subjectis mucosis ac phlegmaticis, quae citissime salivationi obnoxia sunt, methodum hanc adhiberi posse; nec tandem de quantitate mercurii corpori ita immissa medicum unquam certum fieri; ut taceam squalorem ac immunditiam, alia que incommoda, quibus haec methodus stipata est, quaeque non immerito arguuntur.

§. 11.

In mucilagine Arabici aliasve gummi, divisum ac suspensum mercurium vivum, secundum Ill.

(45) *Recherches pratiques sur les différentes manières de traiter la maladie vénérienne*, p. J. J. GARDANE. Paris 1770.

PLENCKI⁽⁴⁶⁾ praecriptum, lene admodum remedium in syphilide exstat, quod tunc praecipue in usum trahi potest, ubi acriora mercurii pharmaca nocerent: attamen non omnem plane fidem meretur, quae illi tribuitur. Ill. DE HORNE⁽⁴⁷⁾ enim mixtionem hanc per sex continuas horas conterebat, et ne tunc quidem perfecta erat, nam statim globuli aliquot mercurii fundum petebant mortarii, licet PLENCK modo quindecim minuta terendum esse affirmet, ut plenaria mixtio fiat. Nonne igitur pars mercurii, praecipue forsitan in ventriculo, ex mixtione aqua insuper diluta, secedet, quae sane ad corporis humores non perveniet? Hoc ut quodammodo evitemus incommode suadet COSTAL⁽⁴⁸⁾, pharmacopola parisinus, mercurium cum gummi arabico sicco conterere, et sub pilularum forma exhibere, quam praeparationem postea quoque ipse recepit PLENCK⁽⁴⁹⁾.

In rosarum conserva, aliave confectione extinctum mercurium, atque sub boli forma exhibitum idem praestare ait SCHWEDIAUR⁽⁵⁰⁾.

(46) Doctrina de morbis venereis. Viennae 1778. p. 181.

(47) I. c.

(48) v. de HORNE. I. c.

(49) I. c.

(50) I. c.

Balsami cuiusdam ope divisus, diversis in cassis remedium aequa gratum ac utile constituit (51).

Cum *saccharo* cando tritus, extus aequa ac intus adhibitus, non inutile offert remedium (52).

Cum *melle* quoque, praestantissimum praebere auxilium *pilulas* istas *aethiopicas* dictas constituendo, in morbis cutaneis venercis; confitetur GIRTANNER. Compositionem earum sequenti modo tradens. Rec. Mercur. viv. depur. drachm. sex. Sulph. aurat. Antim. : Res. Guajac. mell. opt. ana unc. semis; miscent I. a. pilulae. N°. 240.

§. 12.

Mercurium calcinatum, sive improprie dictum *praecipitatum perse*, praecipui angliae medici, PRINGLER, BARKER, HEBEDEN, (53) SCHWEDIAUR (54) HUNTER (55) aliique, abhinc aliquot annis multum in syphilide extollunt. Initio curae modo $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ grani partem pro dosi exhibent, et non ultra granum 1 ascendunt: sedulo autem est attendendum ut in tenuissimum polleni fit redactus merc. calc.

(51) ibid.

(52) ibid.

(53) RICHTER Bibl. Chir. T. V. p. 122.

(54) I. c. p. 264.

(55) I. c. p. 372.

ne aliquid splendentis in ipso adhuc conspiciatur, quippe alias colicos ciet dolores: hos ut averterent, addiderunt opii parvam quantitatem, multumque potus cuiusdam mucilaginosi superbibere jusserunt. Nonne forsan ex connubio hujus praeparati cum substantia quadam pinguedinosa scopum supra memorati (§. 10.) unguenti multo perfectius attingeremus?

§. 13.

Mercurium *funi forma* corpori ingerere, priscam istam methodum, denuo commendavit Cl. LALOUETTE⁽⁵⁶⁾, eamque post multorum annorum operam, ab omnibus ipsis vitiis ac incommodis, quibus olim scatebat, repurgasse asserit. Duplex enim auctoris in hac emendatione meritum consistit. Novam primum ad fumigandum machinam excogitavit, quae ad simplicitatem ac opportunitatem hujus methodi multum conserue debet. Peculiarem dein pulverem ad fumigationes praeparavit, qui mercurium fere integre reductum et ab omni heterogeneo immunem offert: est is mercurius sublimatus ope alkali fixi vel limaturaem martis praecipitatus ac quasi reductus.

Hanc methodum nunquam vel rarissime ptyalismum creare nec primas gravare vias, definitam

(56) *Nouvelle méthode de traiter la maladie vénérienne par des fumigations.* par P. LALOUETTE. Paris 1776.

quoque mercurii quantitatem corpori introducere, nec tam strictae diaetae aegrum adstringere, auctor affirmat; ut sic negotiis suis vel in aëre libero innocue defungi possit; alias ut taceam præstantias, quibus suam opinionem condecoravit:

Equidem non plane rejicerem hanc rationem, sed data occasione quoque tentarem, quum vix credibile sit, quantum immutatio methodorum in curanda lue venerea saepius conferat; præcipue quoniam in topicis quibusdam symptomatis, tumoribus nempe testicularum atque ossium, hominique carie venerea alias medendi rationes saepius eludentibus, haec, secundum GARDANE⁽⁵⁷⁾ aliosque, omnibus reliquis palmam praeripiatur.

§. 14.

Salia mercurialia, humoribus nostris solubilia, multo intimius sese illis admiscere, ideoque citiorem edere effectum mercurio vivo, jure quidem persuasum sibi habet GARDANE⁽⁵⁸⁾, et præcipue si ad ejus mentem, acidum menstruum in quo mercurius solutus haeret, majore volatili-

(57) I. c. atque SCHWEDIAUR. p. 261. et CEZAN, *manuel anti-syphilitique; ou essay sur les maladies vénériennes, avec un préservatif de ces maladies. A Londres et Paris. 1774. 320 pag.*

(58) I. c.

tatis gradu gaudet, quo facilius et promptius, ut quidem videtur, nostris sese jungat humoribus.

Fugaci itaque *salis acido* nuptum hydrargyrum omnibus aliis natura sua palmam hic praeripere, cum GARDANE, DE HORNE, multisque alii⁽⁵⁹⁾, arbitror Nec immerito sublimatum hisca ornari verbis, quivis fatebitur, qui celerem ac tutam ejus efficaciam, non praeoccupata mente, unquam viderit. Quum vero eandem forte sortem expertus sit, quam plurima alias praestantissima pharmaca, que caute adhibita, aegris salutem, incaute vero exitum afferunt; ideo multum iterum fidei amisit, multique in eum insurrexere hostes⁽⁶⁰⁾, quibus nec hodieum caret. Sed et diversae formae, sub quibus exhibitus fuit, famae ejus vel aliquid addiderunt, vel detraxerunt. Optimam rationem qua *sublimatus* intus dati debet, eam reputo, qua in *aqua destillata simplici* solutus, saccharo vel syrupo quodam ad gratiam edulcoratus sit, cui addere *salis ammoniaci* parvam quantitatem BOSQUILLON⁽⁶¹⁾ jubet. Sic minus observari pulverem istum praecipitatum, qui elapso quodam tempore post solutionem factam deprehenditur, ni pharmacopola rei peritus per chartam bilam eam trajecit.

(59) vid. BOEHM. I. c. §. XXIV. p. 55.

(60) ibid. p. 58.

(61) CULLEN, *Elémens de médecine pratique, par BOSQUILLON*
1785. Tom. II. p. 661.

In *spiritu vini* solutum sublimatum, secundum Ill. SWIETENII praescriptum, apud nos certe, aegrius in usum trahendum esse arbitror, quoniam non solum valde nauseosum medicamentum, constituit sed et potius inspissat humores, fluidiores reddendos, imo dolores colicos, subinde et lassitudinem ad lipothymiam usque concitat. Nec tandem pilularum majorum forma placet, sub qua secundum HOFMANNI aliorumque praescriptum prostat sublimatus; quippe quae semper id dubium movent, quod si a pharmacopola magna copia parentur, eae in usum servatae, ita siccescant, ut a ventriculo aegrius digeri, minime in corpore suas edere vires queant, sed totae quantae, non solutaे, interdum alvo excercantur.

Non spernendo ceterum consilio Cel. olim SANCHEZ⁽⁶²⁾ balnea vaporum apud Russos usitata, inter sublimati usum adhibenda, summe laudat, quoniam ejus effectum mire juvare asserit, quem tamen et praemissis balneis tepidis non minus obtinebis.

§. 15.

Sublimatum pinguedine susceptum, plantis pedum pediluvio tepido prius emollitis inficere jubent in

(62) A. N. R. SANCHEZ. *Observations sur les maladies vénériennes*. Paris 1785.

syphilide, Itali quidam medici **GALLO** (63), atque **CYRYLLO**.

Mercurium sublimatum, in ea aquae tepidae copia, ut tanquam *balneo* eo uti possit aeger, solvere jubet, Cel. **BAUME** (64), qui in singula aquae libra, sublimati gr. semis solvit. Illis praecipue haec balnea conducere possunt, qui hypochondriacis aliisve spasmis obnoxii, internum sublimati usum non bene ferunt, quoniam facile ab illo excitantur; aut et illis in quibus virus v. praecipue cutim petiit. Lenis certe est haec medendি ratio, quae tamen id periculi affert, quod de quantitate mercurii, corpori immissa, parum certi fiamus.

Clysmata antivenerea a Cel. **ROYER** jam anno 1765 summe depraedicata (65), et anno 1771. iterum defensa (66), sublimatum probe solutum & camphoram secundum **GARDANE** (67) continent.

(63) *Reflessioni Teorico-Pratiche sopra le malattie veneree. Torino 1784. et CYRYLLO Observaz. pratich. interno alla lue venerea.*

(64) vid. DE HORNE l. c.

(65) *Dissertation sur une nouvelle méthode de traiter la maladie vénérienne par des lavemens. Paris 1767.*

(66) *Nouvelles observations faites dans les hopitaux militaires de la marine pour constater la sûreté et l'efficacité des lavemens anti-vénériennes, par M. ROYER. Londres et Paris 1771.*

(67) l. c.

Haec tunc potissimum arridet methodus, ubi aliquam ob causam mercurius ore assumi, sive extus introduci nequeat, vel praeparimis ubi virus venereum intestinum rectum petit; attamen tenesum colicosque dolores inde saepius sequi posse, utique etiam metuendum est. Nec denique hac via procedentes, de quantitate mercurii, a va- sis intestini recti resorpti, certiores evadimus.

§. 16.

Ut Sublimatus omnibus istis nocivis qualitatibus privetur, quae plurimos medentes ab ejus usq; retinent, peculiari quodam artificio eum corrigere studuit Cel. VAN WY (68), quem tunc sub nomine *Mercurii sublimati corrosivi adusti*, offert. Ejus praeparandi norma ab ipso auctore sequenti modo praescribitur. „Quantitas indefinita *mercur. subl. corros.* in tenuissimum pollem redacti, vase clauso carbonibus ignitis imponitur: affunditur sub continuo motu ope spadulae, alkohol vini, ad altitudinem digitii transversi supra mercurium, atque incenditur: haec operatio toties repetitur, donec sublimatus in pulverem fuscum redactus sit.,, Frequentior autem hujus processus repetitio, pen-

(68) vid. *Neue Sammlung der auserlesensten und neusten Abhandlungen für Wundärzte*. 8tes Stuck. Leipzig 1785. ipsum librum Belgico idiomate conscriptum, ex quo haec epitome modo mutuata est, nunquam vidi.

det ab alcoholis majore minoreve puritate; cave tamen ne in conclavi clauso praeparatio fiat; vapores enim exhalantes, valde acidi et rodentes, pulmonibus ac oculis infesti, cautissime evitandi sunt. Mercurius hoc modo adustus teritur iterum in mortario vitro atque usui servatur.

Rationem minus nocivae proprietatis *Sublimati adusti*, auctor in magna acidi salis parte, defligrationis ope ablata, ponit, sicque virtutem quandam, nobis adhucdum ignotam acquirere credit, qua sese prae reliquis mercurii praeparatis, cito ac jucundo suo effectu, manifestet. Sedulo tamen inquirendum esse, num aeger jam antea mercurialibus usus sit, quae in corpore adhuc haerent, quum tunc vel minor dosis, vehementiorem suscitaret salivationem; quod tamen de omni usu mercurii corrosivi valere videtur. Si vero aeger jam saepius iue venerea laboraverit, exiguum dosin nullius frugis fore ait auctor.

Remedium hoc a gr. 1. ad 4. usque de die, in decocto Sarsaparillae solutum datur, eademque simul servatur diaeta, quam usus aliorum mercurii praeparatorum requirit. Autor ipse sequenti modo remedium suum praescribere solet, „Rec. Mercur. subl. corros. adust. gr. triginta duo, solve in mucilag. gumm. arab. adde Rad. Sarsaparill. unc. tres coq. per horam in aq. font. libr. quatuor, col. divid.

in 8. part. aequal. et quovis die una pars partitis
viciis exhibeat." Formam pilularem quoque
dedit, quam hic appono: Rec. Mercur. subl. cor-
ros. adust. scrupul. unum, Pulv. Rhei opt. drachm.
duas, Gumm. arab. drachm. un. cum dimid. m. f.
pill. N°. 160. sumantur 8. de die.

§, 17.

Protinus istam rimabor methodum, quam
non longo retro tempore celebravit CLARE⁽⁶⁹⁾
anglus. Colligit enim hic ex frequentibus illis
casibus, ubi ab externa applicatione salis cujusdam
mercurialis in partibus vulneratis, vel saltem epi-
dermide destitutis, os inopinato ptyalismo affec-
tum est, absorptione haec fieri, atque mercu-
rium specifice in os agere. Experientia quoque
auctorem ulterius edocuit, luém venereum pro-
fligari, quum sequenti modo mercurio uteretur:
„Humectato nimirum dígito aegrum internae buc-
carum faciei in regione ductus Stenoniani *Mercu-*
rii dulcis granum circiter pro dosi, infricare jubet,
sive, ut ingratís a deglutito hydrargo sequelis
obveniat, internae labiorum superficie, quippe
quae partes non minus bene ac externus gingiva-
rum paries lenem ferre frictionem valeant: sic enim
parum

(69) *Methode nouvelle et facile de guérir la maladie vénérienne.*
Londres 1785. 8.

parum mercurii deglutiri, reliquumque statim absorberi, auctor reputat: et nequidem internam gingivarum orisque faciem a frictione excipiendam esse, si supra dictum spatium cuidam nimis arcum videretur: frictionem autem minoris quantitatis mercurii in latiore spatio plus valere largiori dosi in arctiore oris ambitu. Esse hinc salivam, ante infractionem semper expuendam sive degluttiendam, ne scilicet nimia ejus copia, magnoque excitato affluxu absorptio impediatur; abstinendum quoque esse ab omni cibo et potu, per integrum circiter horam post frictionem, ne ventriculo ingeratur mercurius, absorptioni destinatus.

Licet autem procul absit auctor, ut saliva fluxum semper excitare cupiat, sive, virus venereum sputatione piae aliis excretionibus facilius e corpore eliminari posse credit; eam tamen mercurii quantitatem, quam ad morbi expulsionem curamque accelerandam auctor necessariam reputat, in plurimis subjectis ptyalismum creare: hanc vero excretionem adeo lenem observari, ut per raro aegri multum ab ejus incommodis vexentur, nec notabile quoddam salivationis signum in illis deprehendi possit.

Multos quoque hac methodo mercurium adhidentes, sanari, absque ullo ptyalismi vestigio: continuatum vero usum remedii ad lenem usque

C

sputationem, vel saltem gingivarum majorem sensibilitatem, certiores nos reddere, de justa mercurii quantitate corpori ingerenda. Miram enim celeritatem, qua ulcera reliquaque symptomata venerea, in melius tunc vertantur, hanc tractandi methodum adhuc ulterius comprobare, et hanc solam, uti fert auctor, esse efficacissimam rationem, qua ulteriorem mali propagationem impediamus, quum os tamdiu saucium servetur, donec ulcera penitus sint sanata omnisque cutis durties, (verum virus praesentis signum) sit sublata. Hoc modo exhibito mercurio, excitatoque leni ptyalismo, pessima ista oris ulcera, auctor nunquam producta vidit, quae alia methodo in usum vocata, salivationem plerumque concomitari solent.

§. 18.

Acido Tartari junctum hydrargyrum contra luem venereum primum celebravit Cel. PRESSAVIN (70) *quod forma fluida, Aquam vegeto mercurialem; sicca vero, Terram foliatam mercurialem* vocat. Praeparandi modum hujus remedii, sequenti modo indicat auctor:

(70) *Traité des maladies vénériennes, dans lesquelles on indique un nouveau remède, dont l'efficacité est constatée par des expériences de dix années par M. PRESSAVIN, à Genève, et à Paris. 1773. 8vo. 384. pag.*

„Rec. Merc. viv. ex cinnabari reducti libram unam, solve leni applicto igne in spiritus nitri libra una et unciis quatuor; solve praeterea in libra dimid. aquae, Salis. Tartar. libr. unam, utramque solutionem, tum argenti vivi, tum salis tartari fervidam, sub continua fortique agitatione, confunde in catino terreo librar. duodecim aquae capaci: Sedimento lateritio sic impetrato, defuso prius supernatante liquore, magnam aquae pluvialis copiam infunde, fortiter agita, et quieti committe; quando aqua superinfusa denuo clara est, defunde iterum: tunc eandem copiam superinfunde, eamque lotionem quater repepe: Sedimento ita eloto, et in eodem vase siccato, infunde acetii boni et acris, lagaenas quinque, expone calori donec bulliat, eoque in calore, vase bene clauso, subinde tamen agitato sedimento, conserva per horas duas; liquorem bullientem adhuc commisce cum altera solutione salis Tartar. prioris ad instar parata; sedimentum album, dimidia hora elapsa, in fundo collectum, et defuso super natante eoque claro latice, ut prius dictum elotum in vitro, cum aquae libr. tribus et cremoris tartari, in pulverem redacti unciis quatuor per horas duas coque, refrigeratum denique liquorem limpidissimum a residuo defunde, et in lagaena sollicite obturata ad usum serva.“

Ipse confitetur auctor, hunc parandi modum prolixorem quidem, attamen necessarium esse, siquidem omnem acrimoniam ac causticitatem sali huic mercuriali exuere animus est; hinc minore longe sumptu duploque efficacior, auctore ipso asseverante, paratur, si nullum plane adhibetur acetum; sed praecipitatum ex acido nitri hydrargyrum, cum aquae libris octo et tremoris tartari libra semis, tamdiu coquatur, donec calx illa mercurii tota sit dealbata; sufficere tunc ab igne vas removere; liquorem refrigeratum a sedimento defundere, et in vasis probe clausis servare. Perinde quoque esse quodcumque sumatur hydrargyrum, sive ex cinabari reductum, sive aliud, dummodo sit purum: clavellatos tandem cineres idem praestare ac sal tartari, nemo non videt.

Dosin hujus liquoris mercurialis auctor ab uno ad tria usque cochlearia extendit, cum syrapi cuiusdam aliquot unciis.

Ne minimum quidem in ventriculo vel irritabili orum incommodum causari internum hujus remedii usum, nec feminis octimestri fetu gravidis nocere, auctori saepe numero observandi occasio nata est; omnes plerumque promovere secretiones ac excretiones: id autem incommodi cum omnibus potentioribus ex argento vivo paratis pharmacis commune habere, quod nempe frequentior inter-

nus ejus usus saliva fluxum cieat, ni evacuantibus pro morbi aegrique indole, nunc his, nunc aliis averruncetur, auctor ipse monet; atque ut huic obveniat incommodo, aquam ad pintas sex cum corticis peruviani, et radicis gentianae utriusque unciis quatuor, rabarbari drachm. quatuor, Lig. Guajac. ras. libra. Sarsaparill. libris duabus per sex horas coctam, et ad coctionis finem, follar. senn. mundat. unciis quatuor et flor. chamo-mill. roman. uncia una additis, conditam, per pannum trajectam, et additis sacchari et mellis albi utriusque libris quatuor edulcoratam, et sollicite despumando ad syrupi consistentiam coctam, commendat, ad sex uncias in die praebendam.

Istius adeo remedii usu, auctor morbos chronicos venereos, eorumque omnem symptomatum pessimum cohortem profligasse narrat, quem aequi felici tramite secutus est Cel. BOELKE⁽⁷¹⁾, qui multas observationes affert, quae de efficacia hujus remedii testantur. Non minus MITTIE ei annuit⁽⁷²⁾.

Nimias forsan esse has laudes, quivis facile arbitrabitur. Ipse quoque PRESSAVIN⁽⁷³⁾, candide refert diversos casus, in quibus hujus remedii usus, vel parum, vel plane nihil praestitit,

(71) Diss. de mercurio tartarisato liquido. Auctore BOELKE.
Goetting. 1787. 8vo.

(72) I. c.

(73) I. c.

qui adeo incommoda creaverit; ideoque cautelas ex hic observationibus sponte promanantes medicis strenue inculcat. Nec DE HORNE (74) multum faventem sententiam de eo fert: viginti enim uncias liquoris, continere modo viginti grana mercurii ideoque perparum ejus vere soluti, monet; suscitari porro inde nauseas colicosque dolores experientia eum edocuit: nec tandem dosi fidendum esse, quum paulatim tremoris tartari, aequie ac mercurii pars ex solutione praecipitentur.

§. 19.

Hydrargyrum in acido nitri solutum hodie rarissime ad usum internum adhiberi, cuivis notum esse suspicor. Quum tamen varia, ex hac solutione mercurii, orta sint praeparata, quorum diversa, certis artificiis mitigata, et ab eorum inventoribus maximo encomio tanquam arcana ad usus medicatos contra luem venereum divulgata fuere, ideo et has hic recensitas reperire, neminem poenitebit.

Sic *Hydrargyrum nitratum cinereum*, a Dct. BLACK ejus inventore pulvis mercurii cinereus vocatum, tanquam lenissimum sal medium mercuriale a Cel. SCHWEDIAUR (75) reputatur, quod ad gr.

(74) I. c.

(75) I. c. p. 268.

duo de die dari potest; ejus praeparandi norma sequens est: solve mercurium vivum in acidi nitri attenuati aequo circiter pondere; dilue hanc solutionem adhuc ulterius et affunde tunc spiritus salis ammoniaci, quantum ad separandum mercurium ab acido necesse sit, elue id praecipitatum cinereum; atque sicca.

Guttae albae a Dct. WARD. (*white drops*) hoc nomine insignitae, quae non omni plane fama caruere, constant ex mercurio in acido nitri dissoluto, dein praecipitato et iterum dissoluto salis ammoniaci ope; secundum SCHWEDIAUR⁽⁷⁶⁾. Minus securi atque acerimi hujus medicamenti dosin, non ultra gutt. unam de die in aqua solutam extendere jubet GIRTANNER.

Syrupum istum vegetabilem a BELLET ejus inventore ita vocatum, esse mercurium ex acido nitri, ope alkali fixi vegetabilis praecipitatum, in aethere vitrioli solutum, et cum aliquo syrupo grato mixtum, testatur SCHWEDIAUR⁽⁷⁷⁾.

Solutionem mercurii praecipitati rubri esse illud arcanum a LA MOTTE tam magnifice venditatum. Datur ad quinque gutt. in liquido quodam grato.

(76) ibid.

(77) ibid. p. 269.

Cum *acido phosphorico* conjunctum hydrargyrum, laudat MITTIE (⁷⁸), nec non cum *floribus benzoës* (⁷⁹), atque cum *sale sedativo* HOMBERGI (⁸⁰).

Prospero eventu nuptuo, *acido aëreo* usus est Cel. NICOLAS (⁸¹), qui alvum leniter inde cieret post longiorem ejus usum salivationem oriri, monet.

Guttae istae *antivenereae*, Amstelodami paratae, quae simul cum decocto quodam massam humorum purificante, exhibentur, multum quoque famae acquisivere. Earum Ill. SCHEELE (⁸²) analysis instituit, atque ex *acido salis* quod marte et perparum *mercurio* saturatum est, compositas esse asserit, adeo ut hac via incedens, istas imitari valuerit.

Naphtam mercuriale a Cel. DELASSONE et CADET descriptam (⁸³) huc usque in usum vocatam fuisse in lue venerea, mihi quidem plane ignoratum est.

(78) I. c.

(79) ibid.

(80) ibid.

(81) v. CRELLES *Chemische Annalen*. T. I. p. 99.

(82) v. *Goettingische Anzeigen*. 1788. 15. St.

(83) vid. *Mémoires de l'Académie*. 1780. p. 274^a.

ULB Halle
005 361 710

3



B.I.G.



THE APIAS SYPHILIDIS

ANNO 1771. AUT POSTERIORES,
AUT DENUO RESUSCITATAS.

PRAESIDE

JOH. JACOBO SPIELMANN

MED. DR. PATH. ET PRAX. CLINIC.

PROF. PUBL. ORD.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI

OFFERT

D. XX. DEC. M D C C G LXXXVIII.

JOH. FRIED. KOBELT

ARGENTORATENSIS

A U T O R.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI
LITTERIS P. J. DANNBACHII.